

constanter confessus est, allelúia.

2. Geórgius, * ut se expeditus ad martyrium præpararet, facultates suas pauperibus erogavit, allelúia.

3. Fidéls servus * et prudens servus pro Christi amore libertate donavit, allelúia.

4. Nullis tentationibus * a caritate Dei fortis Christi miles et Martyr potuit separari, allelúia, allelúia.

5. Fortiter inclinatio capite, * pro Christi nomine martyrio meruit coronari, allelúia.

Oratio. Ora pro nobis beate Geórgi, allelúia. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi, allelúia.

Ad Bened. Aña. Dum inclutus Martyr Geórgius gravissime varieque torqueretur, et constantissime pro Christi nomine tormenta perferret, plurimi ejus exemplo ad constantiam profecerunt, allelúia.

Oratio.

Deus, qui nos beati Geórgii Mártiris tui méritis et intercessione lætificas : concède propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, et loco ult. Psalm. Crédidi.

Oratio. Ora pro nobis. ut supra.

Ad Magnificat, Aña. Fundatus supra firmam petram Geórgius nobilis miles, a verbis impii tyranni non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsit, sed constanter pro Christi fide certans usque ad mortem, hodie martyrii gloria et honore coronatus est, allelúia.

Commém. sequentis.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Thuribii

de Mogrovejo

Episcopi et Confessoris.

Semiduplex.

(In Archid. Compost. et Astur. Duplex majus.)

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter sequentia.

(m. t. v.)

Oratio.

Ecclésiã tuã Dómine beati Thuribii Confessoris tui atque Pontificis continua protectiõne custodi : ut, sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuosemper faciat amore ferventes. Per Dóminum.

Deinde fit Commémor. præcedentis et Octavæ S. Georgii.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Compost. et Astur. Fidéls sermo. de eodem Communi.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Thuribius Alphonsus ex nobili Mogroveja gente Majorgæ in regno Legionis natus, liberalibus disciplinis, et juri canónico Vallisoléti primum, deinde Salmánticæ in majóri collegio Oveténsi sancti Salvatoris ita operam dedit, ut tamen potiorem temporis partem orationi aliisque piis et christianis exercitiis impenderet. Id comprobatum est, cum immisam in ejus cubiculum impudicam mulierem præcipuus virginitatis sectator constanti animo extemplo expulit; inde jejuniis, vigiliis, et proprii corporis castigatiõne continuo vitam exercebat, et nudis quoque pedibus Compostellam ad sancti Jacobi sepulcrum peregrinatus est.

R. Inveni David.

Lectio v.

A Gregorio decimo tertio Limanæ Ecclesiæ ex quæstõre fidei invitus præficitor : quo in munere apostolicam sollicitudinem in nova christianitate vel solidanda vel amplianda adhibens, perfecti Præsulis partes explévit. Quare singulis Dominicis diebus vel in ecclesiã vel in hospitali domo, in parvis etiam oppidulis et sub dio concionabatur, plebemque catechismo instruébat. Synodos etiam diocesanas et provinciãlia concilia juxta Tridentini statuta habuit, et in eis complura decreta, postea a sede apostolica confirmata, condita sunt quibus modo Ecclesiã Americãna regitur. Hinc morum emendatio, cleri disciplina, juvenum seminaria, virginum ac male nuptarum cœnobia, ægrotorum xenodochia, aliæque ædes et templa ejus etiam sumptu constructa, emanarunt.

R. Posui adjutorium.

Lectio vi.

Dicecésim suã, amplissimã quidem, incredibili labore totam sæpe visitavit, omnésque pene Ecclesiæ suæ provéntus in pauperum usus, quos creditores suos vocabat, erogavit, octingentis, ut ferunt, hominum millibus sacro chrismate unctis. Innúmeras contradictiones, sive ab iis qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis qui intra, pro-

pter Ecclesiæ libertatem, summa patientia sustinens, acriter defendit, martyrii cupidissimus. Tandem sacerdotio et miraculis clarus, quæ etiam post mortem ipsius sanctitatem comprobant; dum propriæ diocesis visitationi incumbere, anno millésimo sexcentésimo sexto, ætatis suæ sexagésimo octavo, sumpto in ecclesia sacro Viatico ad mortis nuntium exclamans: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus; die vigésima tertia Martii obdormivit in Domino. Quem Innocentius undécimus in Beatórum número retulit, assignata ejus festivitati die vigésima séptima Aprilis. Deinde novis quam pluribus fulgentem signis, Benedictus décimus tertius Pontifex máximus, quarto Idus Decémbris anno salutis millésimo septingentésimo vigésimo sexto Sanctórum fastis ascripsit.

℟. Iste est qui.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio viij. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vo-

cavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 23. in Cant.

Accipiunt in promissione, qui bene præsumunt, constitui super omnia bona Domini sui: at pauci profecto, qui utiliter, pauciores qui et humiliter præsent. Facile tamen utrumque adimplet, qui matrem virtutum discretionem perfecte adeptus, vino nihilominus caritatis usque ad contemptum propriæ gloriæ, usque ad sui ipsius oblivionem, et non ad querenda, quæ sua sunt, ebriatur, quod solo ac miro Spiritus sancti magisterio obtinetur.

℟. Amavit eum.

Lectio viij.

Virtus autem discretionis absque caritatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deest, quatenus et fervor discretionem erigat, et discretio fervorem regat. Ergo taliter oportet esse mortuum eum qui præest. Optimum autem in moribus dixerim, et summam disciplinæ hujus perfecte ap-

prehendisse, qui in nullo prorsus aut resistat prioribus, aut invidet paribus aut subjectis vel desit in cura, vel in superbia præsit, prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctórum, quas possident, tam iniqua gerunt, et stipendiis, quæ sufficere debent, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retineant, et in usus suæ superbæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliæ diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur. Te Deum laudamus.

Vesperæ de sequenti.

EADEM DIE XXVII.

S. Petri Armengaudii

Mart. Duplex.

Pro Princ. Cathalauniæ.

Omnia de Comm. unius

Mart. temp. Pasch. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Petrum Martyrem tuum virtute constantiæ

in passione roborasti: ex ejus nobis imitatione concede; ut tua caritate ferventes, nulla sæculi adversa formidemus, et ipsius precibus et meritis tuo semper muniamur auxilio. Per Dominum.

Commem. præcedentis, Octavæ S. Georgii et S. Vitalis Mart.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Etrus Armengaudius Cathalaunus, in oppido Guardiæ Pratorum nuncupato diocesis Tarraconensis, e familia comitum Urgelensium nobilibus parvulus natus, post juventutem perditam in sæculo exactam, ordinem beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, non sine cœlesti admōitu, amplexus est; cujus instituti observantissimus, oratione, jejuniis, ceterisque austeritatibus anteactam vitam mirabiliter compensavit, ac virtutum fulgore, præsertim caritate in Deum et proximum, plane enituit. Quamobrem susceptum captivorum redemptionis munus expleturus, non semel ad Saracenorum plagas perrexit, et quampluribus Christi fidè-

libus e durissimæ servitūtis vinculo exsolūtis, uberrimum animarum fructum ex divini verbi semine et suorum morum sanctimonia relatum, in hōreo Dōmini invēxit.

R. Lux perpētua.

Lectio v.

A Fricam mox repē- tens, et multis inde in Hispāniam remissis captivis, dolens non potuisse deficiente pecunia quosdam pūeros in fide nutāntes liberāre, se in pignus pro eorum redemptione cōtulit. Ipse interim compēdibus detentus, cum ad statutam diem pacta pro redemptione merces non fuisset allata, et Mahomētice superstitionis haberetur contēptor, collo ad lignum suspenditur. Ex Hispānia ejus socius Guilielmus cum redemptionis pretio in Africam intērea revērtitur, et graviter beati viri amissionem deflens, ad locum, ubi suspensus manebat, accessit, quem vivētem reperit, sibi que dicentem audivit: Carissime frater ne flēveris: ecce enim sanctissimæ Virginis manibus sustentatus vivo, quæ mihi his diebus hilariter adfuit. Inenarrabili itaque gaudio illum e suspēdio depōsuit, et cunctis demi-

rāntibus, ac bārbaris non credentibus, una cum aliis libertate donatis læti in patriam reversi sunt.

R. In servis suis.

Lectio vj.

EX illo autem tempore beatus Petrus collum e supplicio obtortum et vultum pallore marcidum, quoad vixit, retinuit. Et solitudinis cupidus conventum sanctæ Mariæ Pratorum sibi elēgit, ubi assiduis orationibus, solo pane et aqua contentus, se afflictabat; pluribus ad eum sanctitatis fama percelebrem confluentibus, quibus hilariter succurrebat, eosque curabat. Frequenter alienatus a sensibus in aerem sublatus, suavissima verba profere auditus est, quibus, ut astantibus videbatur, beatissimæ Virgini interroganti respondebat: sui que martyrii memor, hæc fratribus dicere erat solitus: Ego, credite mihi, nullos reputo me vixisse dies, præter felicissimos illos paucos quibus ligno suspensus mundo putabar jam mortuus. Tandem gravi morbo correptus, et sacra Synaxi munitus, anno a Christo nato millesimo trecentesimo quarto, die vigesima septima Aprilis a se prædicta, spi-

ritum Deo reddidit in illis verbis: Placēbo Dōmino in regione vivorum: et miraculis clarus maxima Christi fidelium veneratione colitur.

R. Filie Jerusalem.

In iij. Nocturno, Homilia. Iste locus. *de Comuni.*

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. Prudentii

Episc. et Conf. Duplex. (In Dicec. Turiason. et Victoriens. ubi est princ. Patronus, Duplex j. classis cum Octava.)

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

Oratio.

DEus, largitor pacis, qui beato Prudentio Confessori tuo atque Pontifici mirificam dissidentes animos componendi gratiam tribuisti: da quaesumus, ut ejus meritis et intercessione veram cum tua voluntate concordiam jugiter servemus. Per Dōminum.

Comm. præced., Octavæ S. Georgii, et S. Vitalis Martyris.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In suprad. Dicec. Fidelis sermo. de Comuni.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Rudentius natione Hispānus, piis parentibus natus, ut vetustissima acta tradunt, in Armētia, urbe quondam provincie Alabēnsis, ab ipsa pueritia magna sanctitatis præbuit argumenta; et simplex, rectus, et timens Deum, ætate simul et virtutibus crevit. In prima ipsa juventute, ut animum a mundi illecebris custodiret, in eremum secēssit, ubi asperissimo vivendi genere corpus in servitūtem redēgit, jugi cœlestium rerum contemplationi, et sacrarum litterarum studio vacans. Defuncto Satūrio, quo usus fuerat eremiticæ vitæ socius atque magistro, voce divina admōnitus, ad civitatem Calaguritānam profectus est.

R. Invēni David.

Lectio v.

EA in urbe poenitentis habitu indutus, in cinere et cilicio ita insectatus est pravos populorum mores increpando, admonendo, concionando, ut collapsam in illis pietatem in pristinum restituerit, confumelias, injurias et verbera propter Christum patiens. Ejus sanctitatis bonus odor cum univēr-

sam illam nationem pervaserit, Prudentius, abhorrrens celebritatem sui nominis, clam Turiasonem aufugit, et inter minores ejus Ecclesiae clericos ascitus, tamdiu delituit, donec cognita viri sanctimonia atque doctrina ab illo Episcopo Presbyter ordinatus est, et Archidiaconus deinde constitutus. Quo in munere cum praecleariora in dies ederet virtutum exempla, conceditum ei fuit regimen vacantis Ecclesiae Turiasonensis atque reluctans et nolens in ejus cathedra omnium votis collocatus est. **R.** Posui.

Lectio vij.

Episcopali auctus dignitate, commissum sibi gregem pascens, monitis, consiliis, scientia, verbo, et exemplo innumeros peccatores ad viam salutis revocavit. Eximia fuit ejus prudentia, caritas, mansuetudo, et misericordia, praesertim in pauperes, erga quos ut largior esset, necessaria sibi detraxit. Peculiari qua pollebat gratia dissidentes animos sedandi Oxomam accitus, ut ea dissidia componeret, quae inter clerum et cives jam diu exarserant, ad pacem et concordiam statim illos

adduxit, divinis etiam, ut fertur, accedentibus prodigiis. Ibidem gravi morbo correptus, magnis laboribus exantlatis, qua praedixerat hora obdormivit in Domino, maxima sanctimoniae fama et miraculis clarus. Ejus corpus delatum ad montem Laurentium, eo loco publice fidelium venerationi expositum fuit, in quo nunc ab ejus nomine ecclesia sancti Prudentii nuncupatur.

R. Iste est.

In iij. Nocturno, Homilia.
Lectio sancti Evangelii.
de Communi.

Lectio ix. et Commem.
S. Vitalis Mart. post
Comm. Oct. S. Georgii.

ALIUD OFFICIUM
S. Prudentii

(In diecc. Victoriensi, Calagurr. et Calceat. Dupl.
In diecc. Victor. Duplex
j. classis cum Octava.)
Omnia ut supra in Officio, praeter sequentia.

IN I. ET II. VESPERIS.

Hymnus.

Nulla pars vitae tibi laudis expers, [dorsus] Cujus incensae pietatis arrodidit sese, micuitque in ipso
Flore juventae.
Ludicra exosum puerilis aevi

Nulla te fallax rapuit voluptas; [calabant] Casta nimirum superis Pectora flammis.

Mollis ut saeculi fugias pericla,
Squallida horrentis petis antra silvae,
Quod Deus secum vocat ad beatae

Otia vitae.

Pervigil seras ibi noctis horas
Transigis multa prece, nec diurnam
Sol ubi lucem retulit, precandi

Deficit ardor.

Aspero quamvis tenuata victu [niare] flagris,
Membra, non parcis laesed Dei fervens amor est laborum

Dulce levamen.

Te Patrem cives celebrent superni,
Te parem summo sobolem Parenti, [perenni] Teque, qui Patrem Genito Jungis amore. Amen.

Ad Magnif. Aña. Invenit Dominum in oppugnando hostes populi sui, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

Oratio.

Deus, largitor pacis, qui Prudentio Confessori tuo atque Pontifici mirificam dissidentes animos componendi gratiam tribuisti: da quaesumus,

ut ejus meritis et intercessionem veram cum tua voluntate concordiam junger servemus. Per Dnum.

AD MATUTINUM.

Si Festum j. Vesp. non habuit, Hymnus Vesp.
Nulla pars jungitur cum sequ. ad Matutinum.

Hymnus.

Longo satis jam tempore
Te silvae et antra detinent:
Tuæque virtutis jubar Solis refulsit Angelis.

Ut luceat mortalibus
Prodire suadet caritas:
Quin ipse te vocat Deus,
Afflatu et urget intimo.

Ergo obsecutus Numini
Ex antro ad urbem demigras,

Deique praeco fervidus
Acërba multa sustines.

Sed victa demum concidit

Peccantium protervia,
Teque increpante, lacrymis
Admissa dolent crimina.

Nunc nos ab alto respice
Tuas ad aras supplices,
Dignosque poenitentiae
Proferre fructus impetra.

Hoc te, Pater piissime,
Hoc te, Redemptor optime,

Teque utriusque Spiritum
Vultu precamur cernuo.
Amen.

Lect. j. Nocturni. Fidelis sermo. **de Communi.**

AD LAUDES,

Hymnus.

FAllacis métuens gáudia sæculi,
 Quæ blandis ánimos illécebris trahunt,
 Silvárum látebras, notáque bélluis,
 Prudens, antra subíveras.
Rursus nunc álio cédere cógeris,
 Ut vanæ fúgias præmia glóriæ :
 Atque inter púeros, sédulus infirmo
 Templi múnere fúngeris.
Sed virtus, réferens lucis imáginem,
 Sese invíta suo lúmíne pródidit.
 Hinc Præsul mérito lectus et áddita
 Fulgens infula vértici.
Felices pópuli, quos tibi créditos
 Exémpló præiens vóci- bus ádmones :
 Et præbens áliis, quæ tibi dénegas,
 Quis sit Patris amor, dóces.
Tu dulci elóquio sæva minántium
 Compónis sápiens júrgia civium :
 Per te pax míseris réddita ut Iridis
 Pulchra luce serénitas.
Nobis nunc véniam posce precántibus,
 Quos pacis tóties fœdera cum Deo,

Heu! turpi nímium crimine frángere
 Demens perpulit ímpetus.
Te, prolem géneras qui tibi cómparem,
 Te per quem Génitor sæcula cóndidit,
 Te Fons, unde fluunt múnere grátia,
 Tellus ástraque pèrsonent. Amen.

Ad Bened. Aña. Dispèrsit, dedit paupéribus, ideo invénit glóriam in gente sua, et grátiam in oculis Dómini.

Octava S. Prudentii
 (Die v. Maii.)

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectio- nes de Scriptura occurr.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Lectio ib.

Part. 2. Pastoral. cap. 1.

Antum debet acti-
 onem pópuli áctio
 transcendere Præ-
 sulis, quantum distáre
 solet a grege vita pastó-
 ris. Opórtet namque, ut
 metíri se sollicite stúdeat,
 quanta tenéndæ recitú-
 dinis necessitaté constrín-
 gitur, sub cujus aestima-
 tióne pópulus grex vocá-
 tur. Sit ergo necesse est,
 cogitatióne mundus acti-
 ó-

ne præcipuus, discrétus
 in siléntio, útilis in verbo,
 singulis compassiõe pró-
 ximus, præ cunctis con-
 templatióné suspénsus,
 bene agéntibus per humi-
 litátem sócius, contra de-
 linquéntium vitia per ze-
 lum justitiæ erectus, in-
 ternórum curam in exte-
 riórum occupatiõe non
 mínuens, exteriórum provi-
 déntiam in internórum
 sollicitúdine non relín-
 quens.

R. Invéni David.

Lectio v.

Ibid. cap. 9. et 10.

Considerándum quoque
 est, quia cum curam
 pópuli eléctus Præsul sú-
 scipit, quasi ad ægrum
 médicus áccedit. Si ergo
 adhuc in ejus ópere pas-
 siónes vivunt, quæ præ-
 sumptiõe percússum me-
 déri próperat, qui in fácie
 vulnus portat? Ille modis
 ómnibus debet ad exem-
 plum bene vivéndi pèr-
 trahi, qui cunctis carnis
 passióibus móriens, jam
 spiritaliter vivit: qui pró-
 spera mundi postpónit,
 qui nulla advèrsa perti-
 méscit, qui sola intérna
 desidèrat: cujus inten-
 tióne bene cóngruens, nec
 omnino per imbecillitá-
 tem corpus, nec valde per
 contumáciam repúgnat il-
 líis bona sua. Et réliqua.

cupiénda non dúcitur, sed
 própria largitur.

R. Pósui adjutórium.

Lectio vi.

Ibid. cap. 8.

Unde ipsum quoque
 episcopátus officium
 boni óperis expressiõe
 definitur, cum dicitur: Si
 quis episcopátum desidèrat,
 bonum opus desidèrat.
 Ipse ergo sibi testis
 est quia episcopátum non
 áppetit, qui non per hunc
 boni óperis ministérium,
 sed honóris glóriam quæ-
 rit. Sacrum quippe offi-
 cium non solum non díli-
 git omnino, sed nescit,
 qui ad culmen regimínis
 anhélans, in occúlta medi-
 tatiõe cogitátiónis, cete-
 rorum subjectiõe páscitur,
 laude própria lætá-
 tur, ad honórem cor éle-
 vat, rerum affluéntium
 abundántia exsultat. Mun-
 di ergo lucrum quæritur
 sub ejus honóris spécie,
 quo mundi déstrui lucra
 debúerant.

R. Iste est, qui.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii
 secúndum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 25.

In illo témpore: Dixit
 Jesus discipulis suis pa-
 rabólam hanc: Homo pé-
 regre proficiscens, vocávit
 servos suos, et trádidit il-
 líis bona sua. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii
Episcopi.

Lib. 2. de Vocation. Gent.
cap. 2. post medium.

Atur unicuique sine
mérito, unde ten-
dat ad méritum :

et datur ante ullum labó-
rem, unde quisque mercé-
dem accipiat secundum
suum labórem. Quod ita
esse evangélicæ veritátis
testimóniõ agnoscitur, ubi
per comparatióem dicitur,
quod homo pégre
proficiscens vocávit ser-
vos suos, et trádidit illis
substántiam suam, et uni
dedit quinque talénta,
álii autem duo, álii vero
unum, unicuique secún-
dum própriam virtútem,
id est, secundum própriam
et naturálem possibilitá-
tem, non autem secundum
 próprium méritum : quia
áliud operári : et áliud est
posse habére caritátem,
áliud habére caritátem.

℞. Amávit eum.

Leccio viij.

NON itaque omnis re-
parábilis reparátur,
nec ómnis sanábilis saná-
tus est : quia reparábilem
et sanábilem esse de na-
tura est, reparátum autem
et sanátum esse de grátia
est. Dénique isti, quibus se-
cúndum módulum capaci-
tátissuæ, quem in eis distri-

bútor substántiæ prævi-
debat, dispar créditus est
númerus talentórum, non
mériti remuneratióem,
sed óperis accepére maté-
riam. ℞. Sint lumbi.

Leccio ix.

In qua duórum servórum
vigilantissima indústria
non solum gloriósis láudi-
bus honestátus, sed étiam
in æténa Dómini sui gáu-
dia intráre præcipitur.
Tértii vero pigrum ótium,
et desidiosa nequítia sic
punítur, ut et vituperatió-
nis decorétur oppróbrio,
et portióne quam accépe-
rat, exuátur. Dignus enim
erat pérdere inútilem fi-
dem, qui non exercúerat
caritátem.

Te Deum laudámus.

DIE XXX. APRILIS.

Octava S. Georgii

Mart. Duplex.

(Pro principatu Cathal.)

Omnia ut in Festo, præ-
ter Lectiones.

Inj. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Petri
Damiáni.

Leccio iv. Serm. 13.

Odiérna festívitás,
dilectíssimi, pa-
schális glóriæ læ-
títiam géminat, et véluti
pretíosa gemma aurum,
cui imprimitur, decóre

própriisplendórisillústrat.
Apte nímrum hoc potís-
simum témpore beáto
Geórgio concéssum est
triumpháre, quando trans-
ácta hiemális incleméntia
túrbinis, austri fómite re-
solúto, læta terra alácri-
ter párturit, et erumpén-
tibus dívérsis herbárum
atque árborum flóribus,
tamquam adolescén-te (ut
ita loquar) ætáte pubéscit.
Geórgius síquidem græ-
ce, terræ cultor latino
sonat elóquio, qui ním-
rum iuxta sui præsági-
umínis, non modo suæ
mentis agrum spirituális
exercítii disciplinis excó-
luit, sed et sanctæ exhó-
ratiónis, et piæ correpti-
onis vómere, multórum
corda proscídit, vitiórú-
mque vépribus érutis, fecún-
da in eis virtútum arbústa
plantávit.

℞. Insígnis Christi.

Leccio v.

Merito igitur hódie
beáti hujus Mátyris
ánimam, post cruéntam
furiósi principis rábiem,
post carníficum feráliter
sæviéntiumimmanitátem,
post dilaceráti córporis
exquisíta supplicia, post
ignis ac ferri, picis et súl-
phuris iníqua torménta,
post vérberum dénique
plagas, post cárcerum té-
nebras, tamquam post

hibérnas furéntium ventó-
rum, nivíumque procéllas
oráculum hoc divínæ au-
ruit vocatiónis audíre :
Veni, inquit, columba
mea, formósa mea; jam
hiems tránsiit, imber ábiit
et recéssit, flores appa-
ruérunt in terra nostra,
tempus putatiónis advé-
nit. Plane de militiæ trans-
látus est in militiam : quia
terréní tribunátus, quo
fungebátur, officium, chri-
stiánæ militiæ professi-
one mutávit. Et ut revéra
strénuus miles, prius óm-
nia sua paupéribus trí-
buens, sárcinam terrénæ
facultátis abjécit, sicque
liber et expeditus, ac fidei
lorica præcinctus, in ipsam
densi certáminis áciem
férvíduus se Christi bellá-
tor immérsit : serváto
scílicet ór-dine, ut rerum
pondus ante depóneret,
atque ita póstmodum ad
campum certáminis im-
pertérritus prosiliret.

℞. Non blandis.

Leccio vi.

Inde est, quod in lege
præcipitur, ut homo
formidolósus, et corde
pávido non egrediátur ad
bellum, sed vadat (inquit)
et revertátur ad terram
suam, ne pavére faciát
corda fratrum suórum,
sicut et ipse pertérritus
est. Quibus nímrum post

bis líquido prædocémur, quia pro defensione fidei dimicare fortiter et idonee nequeunt, qui adhuc nudari terrénis ópibus pertimescunt : unde tolerabilius est, ut domum redeúntes, ignobiliter quodammodo et imbélles vivant, quam ut secum et álios a triumphandi glória per degeneris exempla timóris avértant. Beátus vero Geórgius sancti Spíritus igne succensus, et vexillo Crucis inexpugnabiliter præmunitus, sic cum iniquo rege congressus est, ut et iniquorum ómnium principem in satellite vinceret, et ad agendum fortiter Christi militum ánimos incitáret.

R. Tamquam.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Ex Tract. 82. in Joann.

M Agis magisque Salvator gratiam, qua salvamur, discipulis loquendo commendans : In hoc, inquit, glorificatus est Pater meus,

ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sive glorificatus sive clarificatus dicatur, ex uno græco verbo utrumque translátum est. Doxa enim, quæ græce dicitur, latine glória est. Quod ideo commemorandum existimavi, quia dicit Apóstolus : Si Abraham ex operibus justificatus est, habet glóriam, sed non ad Deum. Hæc est ad Deum glória, qua glorificatur non homo, sed Deus; sed non ex operibus, sed ex fide justificatur, ut ex Deo illi sit, quod etiam bene operatur, quóniam palmas sicut jam superius dixi, non potest ferre fructum a semetipso.

R. Dum invictus.

Lectio viij.

Si enim in hoc glorificatus est Deus Pater, ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli, non hoc glóriæ nostræ tribuamus, tamquam hoc ex nobis ipsis habeamus : ejus est enim hæc grátia, et ideo in hoc non nostra, sed ejus est glória. Unde et álibi cum dixisset : Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona : ne a semetipsis putarent esse

bona opera sua, mox addidit : Et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. In hoc enim glorificatur Pater, ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli. A quo efficimur, nisi ab illo, cujus misericordia prævenit nos? Ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis. **R.** In rota.

Lectio ix.

Sicut dilexit me Pater, inquit, et ego dilexi vos : manete in dilectione mea. Ecce unde sunt nobis opera bona : nam unde nobis essent, nisi quia fides per dilectionem operatur? Unde autem diligeremus, nisi prius diligeremur? Aptissime hoc in epístola sua idem iste Evangelista dixit : Nos diligamus Deum, quóniam ipse prior dilexit nos. Quod autem ait : Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : non æqualitatem naturæ ostendit nostræ et suæ, sicut est Patris et ipsius, sed grátiam, qua mediátor Dei et hóminum est homo Christus Jesus. Mediátor quippe monstratur, cum dicit : Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : nam Pater utique diligit et nos, sed in ipso,

quia in hoc glorificatur Pater, ut fructum afferamus in vite, hoc est in Filio, et efficiamur ejus discipuli.

Te Deum laudamus.

Vesperæ de sequenti, Commem. præcedentis.

DIE V. MAII.

In Conversione

S. Augustini

Episc. Conf. et Ecclesiæ Doctoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Hymno ad Vesperas et Matutinum dicitur.

Hac die lætus colitur renatus

Flumine sacro.

Ad Magnificat. Añã.

Exsultemus in Deo salutari nostro, quia respexit ad preces et lacrymas ancillæ suæ Mónica super desiderium ejus : ecce, Augustinus omnipotenti brachio ad veritatem conversus est, et magnus Ecclesiæ Doctor evasit, alleluia.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis mirabili conversione decorasti : præsta quæsumus, ut sicut Ecclesiam tuam propulsis erroribus prætegit, ita corda nostra præcibus suis con-

tra malignos spiritus, tua gratia irrigante, defendat. Per Dominum.

Commem. S. Monicæ Viduæ.

In I. Nocturno.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 7.

SCimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.

R. Euge serve.

Lectio ij.

Condelctor enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in

membris meis, repugnātem legi mentis meæ, et captivātem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Grātia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secūndum carnem ambulānt, sed secūndum spiritum. Qui enim secūndum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Qui vero secūndum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

R. Ecce sacerdos. **Lectio iij. Cap. 13.**

ET hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim proprior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitis, non in contentione, et æmu-

latione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

R. Juravit Dominus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Augustinus unde vigesimum annum agens, spreta, ut ipse ait, religione, quæ sibi puero a parentibus insita erat, ad Manichæos defecit, iisdemque novem annos adhæsit. Sed et Carthagine, ubi rhetoricam profitebatur, illicitis amoribus irretitus est, ac Genethliacorum deliramenta aliquamdiu secutus. Auditorum Carthaginiensium immodestia offensus, audito Romæ adolescentem sedatius litteris operam dare, matre decēpta, consensu clam navigio, illuc contendit: ubi correptus ægritudine in vitæ discrimen incidit. Sed piæ matris precibus servatus est, ejus discēssum errorēque inconsolabiliter deflentis. Confirmata valetudine, eloquentiæ scholam aperuit, ac ferme per annum Romæ docuit. Postea a Symmacho Urbis præfecto rhetoricam ipsam publice professurus missus est Mediolanum; ubi sanctum Ambrōsium dispu-

tāntem in populo studiose audiens, perspēcta Manichæis insania, nondum tamen recte sentiens, Academicorum more de omnibus dubitans atque inter omnia fluctuans, Manichæos relinquere decrevit, ac tamdiu esse catechumenus, donec aliquid sibi certi elucēret, quo cursum intenderet.

R. Inveni David.

Lectio v.

CUM autem Ambrōsio conciones frequentaret, et sacras Litteras, præsertim divum Paulum, avidissime legeret, ad catholicam fidem serio animus adjecit: quem valde jam incensum, magis impulit sancti Simpliciani, cui æstus animi sui contulerat, gravis adhortatio. Nam is Marii Victorini, celeberrimi quondam in Urbe rhetoris, ei exemplum proposuit: quem in senecta, mirante Roma, gaudente Ecclesia, Christo nomen dedisse memorabat. Susceptum consilium morabantur desiderium conjugii et sæculi blandimenta. Sed Potiano narrante de Antonii mirabili sanctimonia atque de illius sectatoribus in eremo austriorem vitam colentibus, abeunte illo, tenere se non potuit, quin ad Alypium